

X PETRI BEMBI

tae, victusque consuetudo mitis ac clemens: ad ea cum praeclera ingenii
 vis ac natura accederet, expetebatur, scilicet unus omnium, maxime ab
 illstri illo virorum, feminarumque conventu: quibus rebus efficiebatur,
 ut multum domo abesset, Urbinique fere viveret: quam rem multum etiam
 vicinitas adjuvabat, atque ultiro citroque Pisaurum quidem usque perfa-
 cilis atque expedita navigatio: ita factum est, ut minus domi honores af-
 fuesceret admirari, minusque ambitionibus implicatum animum haberet.
 At vero id pater reprehendere, graviter ferre, ac prope patrio jure, ut
 uxorem duceret, ut rem publicam capesseret, atque ex ordine magistratus
 peteret, imperio cogere. Fit enim fere, ut qui in libera civitate, praeser-
 tum clara atque opulenta, vivant, omnia ad honores referri putent opor-
 tere, id unum consequentur & expetant, ut dignitates, ut magistratus
 adipiscantur: si quae sint laudes, quae alio pertineant, eas aut non agno-
 scunt, aut leves atque inanes judicant: atque haec liberorum populorum
 consuetudo, quamquam per se ipsa, vique sua fortasse minus probanda
 est: nec enim compendii, honorisve causa, si ad veram illam rationem diri-
 gas, petendi magistratus sunt, civibusve aliis ullo studio, aut ulla conten-
 tione praeripiendi: sed unius Reipublicae ratio habenda est, ejusque unius
 utilitati, salutique serviendum; ut dignioribus concedamus; & saepe dela-
 tus nobis major aliquis, aut magistratus, aut imperium, aut curatio, si mi-
 nus ei rei gerendae nos idoneos sentiamus, accipiendus non sit, aut etiam
 deponendus: nec enim errare patriam, pati aequum est. Sed, quoniam
 non vivitur cum perfectis hominibus, percommode popularis haec ambitio
 cecidit: honorum enim cupiditate incensi, non ad suum se quisque format
 atque instituit arbitrium, sed ad populi, civitatisque judicium, consilia,
 mores, vitam, voluntatemque instituunt; dantque operam, non ut sibi ip-
 si, aut aliis fortasse quibusdam probati sint; sed, ut populo, civitatisque,
 a qua honores scilicet expetant, placeant: ita fit, ut una, eademque per-
 petuo permaneat civitatis forma, atque una, eademque sit omnium ci-
 vium communiter disciplina; neque singulorum privatum studiis, voluntati-
 busque variatis, Reipublicae quoque ratio atque institutio vertatur atque
 mutetur; quam quidem cautionem, prudentiamque, una, praeter ceteras
 omnes, Venetorum civitas semper adhibuit; ut domesticos suos mores di-
 ligentissime retineret, effetque plane sua, neque quicquam exterum infundi
 in civitatem, aut ulla infici se peregrinitate pateretur. Cum igitur Bem-
 bus pater in eum cursum, quem tenuerat ipse, quemque summa cum lau-
 de, plausuque confecerat, filium induceret atque compelleret; ille contra,
 alia spatia, cursusque alios animo agitaret, quamquam patri obsequi suade-
 bat pietas, ciuium consuetudo hortabatur, propinqui, necessariisque efflagi-
 tabant; tamen sic animo cogitabat, cuius ipse gloriae cupidus esset, eam ad
 fe

Abulensem in Hispania episcopatum recusavit; *Caesar Gonzaga*, *Gaspar Pallavicinus*, alii
 multi, de quibus mentionem infert *Castilionaeus*. Onines hi Petrum Bembum ita suspiciebant
 quani qui maxime: praesertim vero dux ipse *Guidus-Ubaldo*, ac *Franciscus-Maria*, *Julii II.* ne-
 pos, jam *Guido-Ubaldo* successor in Urbinatuni imperio designatus, eorumque conjuges ipsum
 parentis loco habituni, cum ob doctrinam praestantiam, tum maxime ob egregias singularesque
 virtutes, omni honoris cultu observabant ac diligebant. Cum Urbini subsisteret, de patris literis
 accepit, *Helenam* parentem suavissimam morti occubuisse mense novembri anno M. D. VIII.
 Hanc domesticam cladem eo tamen pater ac filius animo tulere, quo par erat ferre viros tanta
 prudentia tantisque virtutibus. Id manifestum fiet legenti Petri epistolam ad patrem datam X.
 kal. decembres M. D. VIII., quae lib. I. epistol. ad fam. num. VI. occurrit.

(a) Fran-